



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

IV. Quia Virgo Hæreticos supprimit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Extendit hoc ad Cælites *Ernesti primi Pragensium Archiep. Marialis. cap. 149.* Mariæ omnium Sanctorum humillimæ, multò meliori modo quàm Paulo data est gratia evangelizare investigabiles gratiæ Christi divitias, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, ut Principibus innotescat, & Potestatibus Cælestibus per Ecclesiam multiformis gratia DEI. Respexisse videtur ad doctrinam *S. Pauli*, quòd Angeli aliqua discant ab Ecclesia, & ita patet quòd Virgo non solum homines edocuerit mysteria Dei, sed etiam Angelos. *Euseb. Emis. hom. de Purificat.* Nisi ipsa verba Filij conservasset, non ea haberemus: de eius namque thesauris nos ista accepimus, quæ enim de Christi pueritia leguntur, à *S. Virgine* accepta leguntur, quæ non modò verba ista, sed & Pastorum, Magorù, Simeonis & Anne condidisse in corde dicitur: nimirum quæ aliquando revelaret.

Hoc ipsum est apud *S. Bernard. hom. 2. de Purific.* Rerum tempus & ordinem tenens ipsa melius postmodum Scriptoribus ac Prædicatoribus Evangelij reservabat veritatem. Quia ut *Revel. cap. 58.* docet *S. Brigitta*, Christus Dominus adhuc puer cohabitans cum Matre multa illi arcana aperiebat. *Richard. lib. 2. p. 2.* Maria Apostolorum Magistra facta est, qui nostri postea Magistri facti sunt: & ascendente Domino, Apostolos novum docuit testamentum, quod ad docendum nos, ijdem Apostoli conscripserunt.

Quàm benè itaq; salutat Virginem *S. Germanus in orat. de Nativit. Virg.* Salve legis atque gratiæ Mediatrix, veteris novique testamenti Sigillum, totius prophetiæ clarissimum Supplementum, summa Divinitus inspirata Veritas Scripturæ.

#### 4. Quia Virgo Hæreticos suppressit.

Erumpebat in orbem pestis Pauli Samosatensis, venit Virgo ad Greg. Thaumaturgum cum *S. Joanne* Apostolo, & quam doctrinam secuta sit antiquitas, edocet; & formulam fidei dat scripto, quæ Paulina hæresis vicina Arianæ confutabatur, quocirca ingressus Gregorius cum illa formula Concilium, quod habebatur Antiochiæ, mirifice erigit Episcopos Orientales. Hæc *Nissenus in vita S. Greg. Thaumaturg.* Optime *S. Hieron. serm. de Assumpt. sive Sophron. Archiep. Jeros.* Virgo quæ solam universam interemit hæreticorum pravitatem, scilicet Virgo est aurora. Ut ait *Arnobius in ps. 54.* & ut *Job. 24.* *Fur & adulter perfodiunt in tenebris domos:* Fur qui maculat oves Dominicas. Adulter qui Verbum Dei adulterat, sicut in die condixerant: si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. Ita ille.

Hinc *Richard. à S. Laurent. lib. 1. de laudibus Virg. cap. 5.* Per Mariam tanquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ Ægyptijs submersis, quia ipsa universas hæreses interemit. *Sergius Hierop. in Nativit. B. V. Victrix strenuissima omnium errorum, & infidelium hostium.*

5. Quia